

Aura, vel Ionium sparsit mergenda per aquor.
 Vivit io! mortis latus & indomitæ
 Horrendos fugit rictus, almæque Saluti
 Debita pro salvo dona tulit capite.
Esseda quin rapuit victor, cursuque citato
 Fertur ovans dulcem rursus ad Aufoniam,
Et Latium, & Romæ regalia tecta revisit,
 Quæ tamen etsi olli nescio quid tacite
Succenset, sibi quod Gallos, tristesque Britannos,
 Et foedam Thracum barbariem antetulit,
Atque suis toties tam longe abscedere muris
 Sustinuit duro ferreus ingenio;
Attamen & læto præfert bona gaudia vultu,
 Et reduci totos pandit amica sinus.
Carpe viam, torto nec parce auriga flagello;
 Quem vehis exspectat Roma, vocatque virum.
Ah! ne illum, ne quis, qua transit cumque, moretur,
 Et teneat lento blandus in hospitio:
Ah! ne illum abripiat discendi quo calet ardor,
 Curaque visendi plurima tardet iter.
Vindobonam timeo, prisciique Antenoris urbem,
 Teque bonis florens artibus eximie
Felsina, Musarum sedes. Ah! parce, Roberte,
 Parce tuis, oro, dulcibus alloquiis.
Cumque aderit, citharæ ne pulsa fila sonantis.
 Felsinea longas ducet in urbe moras
Audierit si te, Pindi florentis ocelle,
 Miscentem doctis pectora carminibus,
Mulcentemque aures cantu; quo surgere Thebæ
 Quippe iterum possint, densaque in ærio
Silva iugo passim cautes reptare per altas,
 Ad numerum & motis frondibus adnuere.
Di bene; non usquam latus cessavit, ab urbe
 Iamque adeo haud longam fertur abesse viam.